

multiplicetur datus numerus per 4. & numero producto 13624. apponantur eadem cifrae, hoc modo. 13624000. Sic etiam, si multiplicanda sint 3040000. per 203000. reiectis 7. cifris ad dextram horum numerorum positis, multiplicentur reliqui numeri 304. & 203. inter se, & producto numero 61712. apponantur reiectae illae septem cifrae, hoc modo. 61712000000.

Hinc fit, si numerus aliquis multiplicandus sit per 10. vel 100. vel 1000. vel 10000. &c. addendas esse illi numero ad dextram tot cifras, quot continentur in numero multiplicante, sine vlla alia multiplicatione: quia reiectis cifris, superest sola vnitas, quae numerum datum multiplicans eundem numerum producit. Vt 5067. multiplicata per 10. faciunt 50670. Multiplicata autem per 100000. faciunt 506700000. Ita quoque 3000. multiplicata per 100. faciunt 300000. &c.

DIVISIO INTEGRORVM

numerorum. CAP. V.

Diuisio
quid.

Diuisio est distributio propositi numeri in partes ab altero numero dato denominatas. Vt diuisio numeri 36. per 9. est distributio eius in nonas partes, nempe à 9. denominatas; quarum quidem singulae quaternas vnitates continebunt: ita vt 4. sit numerus ex hac diuisione productus, qui Quotiens dici solet, propterea quod indicat, quoties numerus 9, qui diuidens, siue diuisor appellatur, in diuidendo numero 36. contineatur

Quotiens
quid.